

gravitate propriâ, hunc necessario superabat & loco pellebat. Estque hîc probè notandum, quod in Phæn. XI. commemorare negleximus; eò citius contigisse hunc emboli *b* lapium, cum clausum esset iterum, post factam semel refectionem, epistomium recipientis; tardius autem & post longam demum moram, cum interea mansisset apertum. Cujus e- quidem utriusque causam dare pariter non est difficile. Ob- serato namque recipiente, obrepenti per imam fissuram aeri non nisi angustus tubulus *d e* adimplendus erat, ut elatere suo naturali in embolum exprimendum validè satis ageret: Re- serato verò eodem, non tubulus tantum *d e*, sed vasta totius recipientis superimpositi cavitas explenda prius erat, quam elatere solito polleret aer furtim se insinuans; id quod multò plus temporis requirebat. Cæterum ex hac Conclusionem duo præprimis fluebant

CONSECTARIA

1. Nullum jam amplius esse dubium, quin Phæn. V. & VI. Tentam. IV. vera & genuina causa data sit, in Ejusd Tentam. Conclus. IX. prout ex ejus comparatione cum hac nota, dilucidè apparebit.

2. Quod ILLUSTRIS BOYLIUS de aqua pri- mus demonstravit Paradox. Hydrostat. XI. *Corpus solidum quantumcunque ponderosum in aqua non mergi, si majori pro- funditate collocetur quàm est ea, quæ crassitiem ejus vigesies æ- quet, ejusque descensus non juvetur à pondere aquæ incumbentis, artificio quodam puta remotæ; idem nos primos nunc de æ- re (quod adhuc incredibilius) experimento evidenti ductos & ratione insuper in subsidium vocatâ, affirmare posse: Corpus solidum & grave, ipsas etiam mille libras pondere superans in aere hoc inferiore non mergi, sed libere ipsi innatare, si descensus ejus non juvetur à pondere aeris ipsi desuper incumbentis b. e. si artificio quodam incumbens hic aer removeatur. Speci- men quippe rei edidimus in exigua metalli mole, & causam vidimus evidentissimam, aeris infra positi renitentiam à pondere superioris multò majori ortam, quàm erat pondus metalli*